

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO CHIRURGICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-sextâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLIV.

M. JOANNE-FRANCISCO COUTHIER,
Doctore Medico, Præside.

An unum, è præcipuis Symptomatibus in operationibus Chirurgicis, mitigandum, Dolor?

I.



MNIUM qui ad Chirurgiam pertinent morborum, unus judex Medicus; illorum ex purioribus Medicinæ fontibus distinctam dilucidamque notitiam, qui non hauserit, recedat. Necessariarum imperitus cognitionum, consilio & opere necessario simul conspirantium, alter erit ægrotanti morbus; ideò Medici negligentia, inscitiaque Chirurgi, quanto ægrotis sint exitio, dijudica? Apud Græcos multifariè vociferatur dolor, sed πόνος & ὀδύνη vocabula duo frequen-

tiùs usurpantur. Solo doloris verbo utuntur Latini. De doloris nomine, nulla controversia, at de ejûs naturâ, certitudo nulla. Quot Autores, tot definitiones, assiduus humanitatis comes, dolor, & inimicus: ejus continua experientia, non clarior idea, non perspicacior notio, continua dubitatio; continui solutioni accedit, ab omni chirurgicâ operatione & curando vulnere individuus. Tristis est juxtà Physicos, animæ sensus: hujus sedes & origo partium involucra, membranæ, quæ per totum corpus diffusæ à cerebro oriuntur; irritatio, tensio, vellicatio, erosio, dilaceratio molestiam percipiendi, animæ occasionem sufficiunt. Ea est instituta, spiritalem inter & corpoream substantiam necessitudo; ex Summi Creatoris placito, in corpore velut in ergastulo inclusa anima, ei præest & providet. Cognoscenda veritas, lædentia corpus præcavenda, recreantia & reficientia admovenda, horum distinguendorum sensus sensationesque nuncii; duo media, tutelares corporis totidem custodes, ejus saluti invigilant. Non in alium finem creati sensus, nec ipsis annexæ sensationes. Putasne aliter? hallucinaris. Veritatem in Democriti puteo latentem frustrà quæris & eruere tentas. Fallax via quælibet alia & in errorem inductura quæ à naturâ deflectitur.

I I.

QUID sit dolor? habes. A morbo, operatione, vulnere, atque ulcere curando, proficiscitur. In eo mitigando, tota sit ars. *Ante omnia*, inquit Hippocrates, *dolorem sedare oportet.* Venæ, arteriæ, nervi, ossa ipsa involvuntur, clauduntur membranis; iis, in parte affectâ, corrugatis, coercetur sanguis, stagnat, progressivus tardatur motus, fermentativus augescit; incandescentia & inflammatio sequaces oboriuntur, afflictæ parti, afflictio additur. Circumfluos undiquè humores cum antiquis crederes. Morâ scilicet, sales cum salibus luctant, salis indolem redolentia sulphura pugnæ participia expanduntur & evolvuntur; cumulatâ sanguinis copiâ, uberiore humorum facto proventu, partium mollium expansio, tensio, durities; ad cerebrum propagatur irritatio, hâc occasione, & mutuâ necessitudine compatitur anima. Corporis cum animâ relationem, sequentibus verbis expressit Hippocrates; *qui aliquâ parte dolentes* (sect. 2ª. aphor. 6°.) *non sentiunt, iis mens ægrotat, quia mens in statu sano percipit dolorem*, cujus continuatione & spasmodicâ solidorum irritatione gravatur, comprimiturque morbida pars; sanguis & humores in angusto constricti hærent mancipia: misti, confusi, vividâ vasorum percussione verberantur, teruntur, fermentatione aguntur, destruuntur, mutantur, in corrosivum pus abeunt. Ferociunt sales, suis aculeis molles abradunt & depascunt, duras fodiunt partes, nervos pungunt & lancinant, nervorum & partium reciprocatione in consensum dolentis veniunt sanæ partes: spasmo proximæ sunt; si dolor diuturnior sit, aut non mitigetur, inassuetis liquorum motibus, solidorumque interturbatis vibrationibus, machinæ humanæ rectrix, monita, præsto est, anima, corporis subsidio venit. Quod mirabile & prodigio simile, occasione & relatione corporeâ, spiritalis sentit anima, doloris voluptatisque sola capax; felici & salubri errore in læsam partem refundit dolorem. Hujus naturæ phænomeni apud Gassendum prostat exemplum, Miles quidam, abscissam licet jamdiu cum brachio manum dolore querebatur; rationem desideras? Ea sanè quòd amputatorum cum manu ulcere laborante, nervorum trunci eodem rithmo ac ante excisionem trahebantur, succutiebanturvè, sic eundem anima dolorem percipiebat.

I I I.

ATQUI in vulneribus curandis & operationibus chirurgicis præcipuum & urgentius symptoma, dolor. Sensationum, cujus est species mechanismum calles. Quot damna in animali œconomiâ cieat, non te fugit. Appetitûs prostratio, virium dejectio, secretionum suppressio, capitis dolores, vigiliæ, deliria, convul-

fiones, febris, lipothymiæ, ſyncope & alia, doloris ſunt affeclæ. Omnes fermè ſubvertuntur functiones, humana proximè ruit moles, ni periclitanti auxiliarius ſubvenias. Multa dolorem levantia & ſedantia numerantur inſtrumenta; interna & externa in re medicamentariâ & utraque pharmaciâ ubertim ſparguntur: ex iis fontibus ea deprome; duo uſu trita, ſed non ſapientiùs ideò miniſtrata: unum unguenta, alterum & extremum eſt ferrum. Hujus adminiſtratio, illius tractatio maturè conſiderandæ ſunt, cuique ſua ſit cautio. Cave ne acrioribus unguentis pars pungatur; irritatione enim, largiore ad partem vocato, ſpirituum influxu, turmatim affluunt humores, convulſivâ membranarum contractione vaſa ſtringuntur, ſanguinis motus tùm in parte, tùm in viciniâ præpeditur, in anguſtius comprimitur: phlogoſis augetur, inflammatio creſcit, gangræna & ſphacelus minantur. Cave, ne intactas & integras partes tangas & exſcindas, partium ſitum, textum & naturam ex anatome revoca: tendinibus membranis, nervis, vaſiſque ſanguiferis attende: quantùm fieri poterit, parce dolori: niſi quod dura cogit neceſſitas, ſeca. Ferocientis in apoſtematibus & vulneribus materiæ, pathognomonicum ſignum, dolor. Eo ſtante gravi ad ſanitatem non reditus. Inimica vis omnis. Inter tumultus ab opere ceſſat, actioneſque mittit natura; cruciata doloribus, turbatur; tranquilla eſt atque quieta: extranea juſſa reſpuit: ſuis & ſapientioribus regitur legibus.

I V.

DUPLEX in genere doloris cauſa, ſubita liquidorum alteratio, & ſoluta corporis continuitas acerrima fiant liquida, cauſticam induant indolem, quamlibet alterationem ſuſcipiant, quantùm noceant, ex præcedentibus reſume; ab externis: quantùm vulneribus hiberno tempore aer ſit adverſus, ex Hippocrate teneto: *frigus*, inquit, (aphor. 20°. ſect. 6ª.) *cutim indurat, ſuppurationem remoratur, livorem, rigores febriles, ſpaſmos, & tetanos, id eſt, diſtentiones inducit;* aere enim frigido cutis pori arctantur, perſpirabilis vapor intùs retinetur, cum ſanguine miſcetur: humorum craſis in deterius vertitur. Æſtivi caloris vehementiâ & tempeſtate ſicciore ſpirituoſæ ſanguinis partes, ejuſque vehiculum ſerum ſolvuntur, avolant. Minùs diluti ſales, molem majorem nanciſcuntur, & unà cum ſucco nutritio ſeu lymphâ vecti, pus acrius reddunt, dolorem lancinantem procreant, carneos adnaſcentes acinos abradunt, inflammationes, eryſipelatodes, quandoque gangrænoſas promovent, aut præſentia ſaltem ſymptomata intendunt. Temperata aëris conſtitutio, quæ moderatè calida eſt atque humida: eâ fibrarum elater ſuſtinetur, non intenditur, ſuperfluum vaporat ſerum, non humido exhauritur ſanguis; præter naturam non effervescit nec fermentat. Blandè movetur, non acredine punguntur partes, licet humorum pondere & mole gravari poſſint, nullus aut ſtupidus dolor excitatur, humorum præcipuorum ſubverſio, antiquorum eſt intemperies, quæ ægerrimè emendatur; hæc in peſte, ſcorbuto & lue venereâ obſervatur, indè doloris perennitas: exacerbatio autem & ſævities, ſi bilis miſcelâ cruor incandeſcat, validiorem, putreſcentemque ineat fermentationem, & pars continuò illabentis ſucci acrimoniâ dilaceretur. Non eſt curatio; in pejus ruit vulnus, ni vitium in humoribus recognoſcatur, mutetur, deſtruatur, num humorum principia vel graviter labefactata, vel penitùs deleta fuére? Diſtingue: his, de venæ ſectionum, catharcticorum, veſicantium & aliorum rei pharmaceuticæ inſtrumentorum utilitate, habitis, perpenſiſque, ſtatuas. Inconſideratè enim adhibita moleſtiſſimas ægrotanti cruces figunt, aut ſaltem fructum nullum, nullumque levamen datura ſunt. Itaquè conſilio Medico muniatur Chirurgus, ad curandi rationem antequàm ſe accingat; ſtudio omni, omnique diligentiâ, amovendis tollendiſque vitiis ſtudeat: remedia æſtimet aptiora, ponderet & ſeligat. Conveniente remediorum ſupellectile dolores tutò & citò ſedet & arceat. Morâ, culpatur, ægrotantium damno protrahitur morbus, alioquin cruciatibus divexatorum, luctu perfuſorum, juſta nec im-

merita querela. Vires enim interdùm franguntur, vehementiora gravioraque invehuntur symptomata ; dolorum denique terminus aut solatium, mors.

V.

ANTE vulnerum curationis auspicationem, quatuor potissimùm, duce Medico, Chirurgus advertat. 1°. Sanguinis motum ; 2°. generalem sanguinis & succi nutritii crasim ; 3°. cujusque partis diathesim ; 4°. symptomatum urgentius, nempè dolorem. Si primum, aut sanguinis motus à naturali non descìscit, diætâ convenienti est servandus aut intensior motus, & plethoræ sunt indicia ; pro datâ indicatione supervacuum evacuandum, derivandum, revellendum ; motus verò febrilis auctam sanguinis fermentationem, solidorumque perversam tensionem nunciat, diluentibus & demulcentibus temperandus & continendus, solidaque simul laxabuntur. Si secundum, exploranda est & perspicienda sanguinis & humorum perversa indoles ; à fomite in stomacho primisque viis hospitante, & latitante ut plurimùm nascitur, liquoribusque suggeritur, & infunditur. Sublato illo ventriculi & primarum viarum generali vitio, particulare partis læsæ vitium tollitur. Si tertium, non omnia extrinsecùs admovenda medicamina ; consulendus partis habitus. Cùm sanguis & succus nutritius, à nativâ crasi non sunt degeneres, missis unguentis & quibuscumque pharmacis irritantibus, perverso usu nimiùm frequentibus, balzamicis ipsismet præstabunt. Si quartum & ultimum : omni operâ ad irritationes, tensiones, & inflammationes compescendas & coercendas, innitaris ; ne novâ symptomatum accessione insigniùs affectâ parte & dirutis functionibus, letho abripiatur æger ; quod iis imprimis obtinebitur auxiliis, quæ mordacem & corrosivam humorum crasim delinire & temperare apta, nata sunt. Sibi mutuantur illæ indicationes, nulla negligenda, & doloris ratio maximè habenda est ; qui triplex, pulsativus, gravativus & lancinans : ab arteriarum distensione, earumque validiore contractione, ab accumbentium vasis humorum, mole & pondere & ab eorumdem sale caustico & acido luxuriante omnes repetendæ sunt. In remediorum itaque delectu, auspice Medico, totus sit Chirurgus, nec quidquam inconsultâ agat naturâ, ea enim ex Hippocrate morborum est medicatrix ;

Ergò unum, è præcipuis Symptomatibus in operationibus Chirurgicis, mitigandum, Dolor.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus-David Herissant.

M. Antonius Bergier.

M. Jacobus-Franciscus le Chat de la Sourdiere.

M. Joannes-Franciscus Isez.

M. Carolus-Franciscus Boutigny des Preaux.

M. etrus Lalouettei.

M. Paulus-Jacobus Maloüin, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Joannes-Baptista Boyer, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in supremo Senatu Parisiensi, ac in Præfecturâ Parisiensi, Serenissimæ Principis Cenomanensium Ducissæ Medicus ordinarius & Censor Regius.

M. Bernardus de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ Regiæque Societatis Londinensis Socius, & in Horto Regio Botanices Prodemonstrator.

Proponebat Parisiis, LUDOVICUS-RENATUS MARTEAU, Parisinus, Doctor Medicus Cadomensis, Sorbonæ necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Parisiensis, Typographi, 1744.